SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

EXHIBENS

COLLECTANEA QUAEDAM MEDICO-PRACTICI ARGUMENTI, EPIDEMIAM ANNI 1826 ET 1827 GRONINGANAM SPECTANTIA,

AUCTORE

M. Nauta Peters,

FRISIO-ORIENTALI.



GRONINGAE,

Ex officina W. ZUIDEMA, Typographi.

1828.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

EXHIBENS

COLLECTANEA QUAEDAM MEDICO-PRACTICI ARGUMENTI, EPIDEMIAM ANNI 1826 ET 1827 GRONINGANAM SPECTANTIA,

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

SEERPII BROUWER,

Math. Magist. Philos. Natur. Med. et Art. Obstet. Doct. in facultate Disciplin. Mathematic. et Physic. Professoris Ordinarii,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

Solemni Facultatis Examini submittit

MARIUS NAUTA PETERS,

FRISIUS ORIENTALIS.

Die IX Februarii MDCCCXXVIII. Hora XI.



GRONINGAE,

Ex officina W. ZUIDEMA, Typographi.

PATRI OPTIMO

NEC NON

VIRIS CLARISSIMIS

MEDICINAE PROFESSORIBUS IN ACADEMIA GRONINGANA,

ET


IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA PRAECEPTORIBUS SUMME VENERANDIS,

SACRUM.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

EXHIBENS

COLLECTANEA QUAEDAM MEDICO-PRACTICI ARGUMENTI, EPIDEMIAM ANNI 1826 ET 1827 GRONINGANAM SPECTANTIA.



INTRODUCTIO.

Cum per triennium in Academia Göttingensi, et per totidem fere annos in hac alma universitate degerim, studiis meis absolutis, restat, ut pro laurea doctorali legitime impetranda, ultimum impleam officium: ut scilicet dissertationis loco aliquod in arte profectuum qualecumque exhibeam specimen. Hunc in finem momentosa illa mihi arridebat materies, ut in ea inquirerem me-

dicamenta, quae, corticis Peruviani ſuccedanei loco, in curandis febribus intermittentibus adhibita fuerint, et qualem haec in ipſo artis exercitio habuerint ſuccesſum. Verum, quum in hac re perquirenda, aliquamdiu verſatus esſem, tempus tamen ad amplisſimam hanc materiem elaborandam mihi defuit, cum aegrotantium numero obrutus, et totus quantus in curandis pauperibus occupatus, ad hanc rem publica auctoritate munitus, ab hoc opere exſequendo deſistere fuerim coactus. Veniam itaque pro laude paciscens, pauca, quae in huius Epidemiae decurſu memorabilia nobis viſa ſunt, ſpeciminis loco exhibere conſtitui.

Sed antequam ad ipſius argumenti tractationem accedo, praeceptoribus, Viris Clarisſimis, quos in utraque Academia habui, publice gratias agere iuvat, cuius rei occaſionem me nactum esſe, magnopere laetor.


Tibi in primis Vir Clarisſime L. Mende, gratum animum testificari lubet, qui me, Göttin-

tingae ſtudiis operam dantem, artem obſtetriciam ita docuisti, ut quidquid in ea profecerim, Tibi acceptum referam, tum vero ad domeſticam etiam familiaritatem admittere voluisti, e qua quantam voluptatem, et, quod maius est, quot fructus me percepisſe dicam? Benevolo, quaeſo, animo discipuli quondam Tui gratias accipe, Vir Clarisſime, resque Tuas in artis medicae, Georgiae Augustaeque emolumentum diu feliciter age.

Haud minores Tibi debentur gratiae, Vir Clarisſime, E. I. Thomassen à Thuessink, promotor aestumatisſime, cui tot nominibus obſtrictus ſum: nam praeterquam quod ex egregiis Tuis lectionibus multum didici, privatis admonitionibus non minus mihi profuisti. Quoties ad Te accederem, humaniter me recepisti; de rebus ad medicinam, praeſertim practicam, pertinentibus ſaepe mecum loqui voluisti, unde factum est, ut nunquam niſi doctior a Te abirem. Pro omnibus his beneficiis gratias Tibi ex intimo animi

ſenſu ago, neque quidquam optare poſſum, quod et mihi et omnibus, qui medicam ſcientiam colunt, gratius ſit, quam ut diuturna et placida fruaris ſenectute, ſcriptisque Tuis in poſterum etiam nos docere pergas.

Amicis item hac occaſione valedico: mei ne obliviscantur, ut ego eorum memoriam ſemper grata recordatione celebrabo.



§ I.



§ 1.

Generalia quaedam circa decurſum et indolem Epidemiae.

Et primo quidem pauca circa decurſum et indolem febrium, quae his annis urbem nostram, agrum circumiacentem, imo totum littus boreale, inde a mari Baltico ad Iſalam usque, miſere devastaverunt, et immenſam ſtragem produxerunt, dicenda ſunt.

Scilicet, postquam per biennium, hic illicve in nostra urbe, febres intermittentes ſolito numero frequentiores, ſeſe manifestaverant, post inſolitam ſiccitatem vernalem, et calorem ardentisſimum ineunte aestate ſeſe monſtrantem, menſe Iunio exeunte, uno quaſi impetu febres ſeſe ostenderunt, intra vulgus adeo frequentes, ut iis curandis vix ſufficerent medici. Hae autem febres, vix ineunte

Epidemia, ullum adferre periculum videbantur, fed blanda facie gastricam naturam induxisfe videbantur. Ast non diu post, continuante calore exficcante, raro pluviis cadentibus, vento vix ullo calorem et vapores difflante, malignam naturam induxisfe videbantur, et fub hemitritaeae forma gravibus fymptomatibus ftipatae obfervabantur, et nunc fub cholerica, nunc diarrhoeica, nunc encephalitica vel apoplectica forma, medicum ludere incipiebant, et multos inopinatò e medio tollebant. Non diu tamen harum febrium natura medicorum attentionem decepit, cum ex earundem decurfu patesceret, hic febrem intermittentem ubique fere fubesfe, et misfa eiusdem larva, vel complicatione gastrica, vel faburrali, tandem eam in intermittentem tranfiisfe. Quamvis enim varia fub forma accederent, et vel febris biliofae vel nervofae, vel ipfius typhi formam adfciscerent, vix curabantur, quin in intermittentem tandem terminarentur, et quod rem plane confecit, corticis Peruviani ufu audaci optime cederent.

Illud autem fingulare ostendebant, quod fub qualibet forma fummam debilitatem post fe relinque-

querint, et pertinaciter fere recidivas paterentur. Haec de decursu et natura huius febris dicta eo magis sufficere possunt, cum praeclari viri, ac praeceptores aestumatissimi, Clarissimi Thomassen à Thuessink (1) et Bakker (2), imo et medici Groningani (3), uberrime hanc materiem illustraverint et pro more egregie elaboraverint.

---

§ 2.

Varietates. Causae.

Febres hae, quae pro varia regione aliquatenus erant diversae, ubique tamen eandem fere ostenderunt naturam, ut scilicet febrem intermittentem

(1) E. J. Thomassen à Thuessink, Algem. overzigt der Epid. ziekte te Groningen. Gron. 1827.

(2) Epidemia, quae anno 1826 urb. Groning. adflixit, auctore G. Bakker. Gron. 1826.

(3) Hippocrates Magazijn, Deel VII, 3 Stuk.

tem pro fundamento agnoscerent, in genere tamen mali moris, atque adeo facile sese sub larva alius morbi abscondentem. Imo nulla fere descripta est febris intermittentis, ita dictae malignae, forma, quin haec a nobis non semel fuerit observata. Frequens scilicet erat febris soporosa vel apoplectica, syncoptica, cholerica, enterica, pleuritica, haemorrhagica, quae plerumque, sine ullis prodromis, insidiose aegrum adgrediebatur et saepe, omnibus incassum adhibitis remediis, etiam primo sub accessu eum e medio tollebant. In aliis autem simplex aderat intermittens, eaque facile remediis ordinariis auscultans, vel et diu resistens, magnis tandem dosibus specifici remedii tollenda erat. Haec febris intermittens etiam diu, Epidemia iam finita, et ubivis nunc fere, inpermixta adeo viget, ut raro inveniatur familia, quin in ea unus pluresve hac febre, plerumque sub forma quartanae, plectantur.

Quaeritur nunc, quaenam sit huius Epidemiae caussa? — In genere hic observamus, post nimios calores, non tantum hic loci, sed in pluribus nostrae regionis locis, has febres epidemicas fuisse, quod uberius praeceptores aestuma-

tis-

tisſimi, Dr. Büchner (1), Bicker (2), aliique exemplis ostenderunt. Plerumque autem praecesſerant inundationes notabiles, vel paludum ſolari calore exſiccatio, qua ſcilicet ablatis aquis iam ſubſtantiae animales et vegetabiles putredinem pasſae, miasma aliquod ſanitati infestum exhalaverint.



§ 3.

Origo dubia.

Obſervatio tamen nostra docuit, in hac re adhuc dubii multum relictum esſe.

1. Omnes enim in eo conveniunt auctores, in omnibus regionibus paludoſis, febres intermittentes

(1) Nieuwe Verhand. van het Provinc. Utrechtſ. Genootſchap, V Deel.

(2) Sebastian, über die Sumpfwechſelfieber, etc. Karlsruhe 1815. Verh. van het Bataafsch Genootſch. der Proefond. Wijsb., IX Deel.

tes esse epidemicas, et quidem ita, ut eo sint peioris naturae, quo calor maior sit, et exhalationes sint magis putrescentes, uti in agro Romano, in insulis quibusdam Indiae occidentalis etc. ubi porro ultimum locum habet, simul febres remittentes gastricas vel biliosas dominium suum exercere. Tandem in regionibus inundationi fluviorum subiectis, praesertim ubi hic aquae stagnant, etiam frequenter febres intermittentes epidemicae observantur.

2. Docuit observatio, in iis regionibus, in quibus terra argillacea adest, post calores aestivos nimios, ex fossis siccis vaporem praesertim vesperi post solis occasum exhalari pessimi odoris, unde subito febres biliosae remittentes in intermittentes dein abeuntes exsurgant, quae tamen facile et sponte cessant, ubi mense Octobri vel Novembri frigus calorem excepit; illud, quod in agro Groningano etiam anno praecedente observatum est. Interim tamen hic et illic ibidem adhuc intermittentes observantur. Porro eadem docuit observatio, illos, qui se his vaporibus frigidis exposuerint, hisce febribus facilius prae reliquis correptos esse.

3. In genere obſervatum fuit, aestate praecedente, in iis locis, ubi littus marinum esſet argillaceum, ibi tantum has febres ſeſe manifestavisſe, imo aquam marinam cum fluviatili dulci mixtam potentisſime has febres excitasſe, cum contra nullae febres epidemicae obſervatae ſint, ubi littus purum arenoſum fuerit. Illud forte inſectis maritimis putrescentibus adſcribendum est. Confirmatur eo, quod febres malignae et intermittentes uberrime, in Friſia et Tranſiſalania, illas regiones devastaverint, quae ab aquis maritimis anno praecedente erant inundatae, et in quibus hae aquae adhuc diu ſtagnaverunt.

4. Non tamen his difficultas omnis ſolvitur. Etenim non tantum febre intermittente corripiuntur illi, qui hasce plagas mari vicinas, cuius littora argillacea ſunt, inhabitant, ſed etiam idem illud obſervatum est, in plagis inundatis aqua fluviatili. Illud quod docet obſervatio clarisſimi Bickeri (Act. Societ. Batavae, l. cit.), qui easdem febres remittentes, dein intermittentes redditas, obſervavit in arte exſiccatis paludibus circa Roterodamum et Goudam. — Idem obſervarunt quidam medici Friſiae, circa Leovardiam, plures

res eadem febre correptos fuisse, licet inundatio esset producta aqua dulci, neutiquam aqua marina infecta. — Porro in quibusdam locis huius Provinciae et etiam Frisiae altioribus et ab inundatione valde remotis, arenosis, febres hae pessime saevierunt.

Dein valde difficulter explicatur origo harum febrium ex miasmate tali paludoso et materia putrida ex locis inundatis exhalato, quando plures ex infecta regione se in alium locum ab his febribus prorsus immunem contulerunt, et licet perfecte sani essent, tamen ibidem, exempli gratia in Gelria febre intermittente corriperentur. Porro, quod, licet tempus hoc anno haud fuerit calidum, sed potius frigidum et procellosum, anni praecedentis tempestati prorsus oppositum, non tantum omnes fere recidivas patiantur, sed multi adhucdum febre soporosa, cardialgica, maxime quartanis, ad corticem Peruvianum rebellibus, plectantur. Tandem, quod calori et siccitati, non semper insequentibus pluviis frigidis, succedat febris intermittens, sed e contrario aliquando, absque manifesta ratione, non tantum per nostram regionem, sed etiam per al-

altas Germaniae regiones epidemicae fuerint. Iam haec febris intermittens hoc anno plures regiones alias, ſanitate conſpicuas, plexit, quas calor praecedentis anni 1826 nulla ratione adfecit, ita quidem, ut illa aestate ſolito minor numerus aegrotantium et mortuorum fuerit.

Concludimus inde, multas adesſe cauſas, quae hucusque nondum perſpectae, ulteriori obſervationi amplam relinquant materiam.

---

§ 4.

Generalia quaedam circa curandi methodum.

De ſequelis huius morbi dicere aliis relinquimus: pauca tantum de curatione harum febrium dicemus.

Febris intermittens in initio epidemiae complicationem cum labe gastrica ostendebat, quae tamen in nonnullis quidem emetico vel cathartico blando tollebatur: ast plerumque non ferebat

re-

remedia fennata vel falina etc. Aliquando tamen fimplici methodo refolvente, vel fuperdatis amaris, fale ammoniaco tollebatur, cum complicatio catarrhalis plures molestias crearet, et facile in febrem nervofam tranfiret. In plerisque tamen femitertianae formam cito adfciscebat et naturam intermittentis prodebat, quae fubito auxilium postulabat, ita ut iam accesfu tertio, fpecifico domari debuerit, quo neglecto, adeo gravis evadebat accesfus, ut mortem minitaretur. In nonnullis leviores etiam fulphatis Chininae, in aliis fortiores ad febrem domandam requirebantur dofes.

Febris intermittens fimplex, nulla alia complicatione coniuncta, uti iam monui, faepe folis amaris, infufo flor. Chamomillae rad. gentianae, vel herb. abfinthii et fimilibus cum fale ammoniaco tollebatur. Imo ubi Cortex Peruvianus non ferebatur, haec auxilia aliquando bene cedebant. Cortex Peruvianus variis dabatur dofibus, et formulis, a multis in pulvere, vel folus, vel cum tartaro emetico, vel cum fale ammoniaco, vel in decocto dabatur, quae optime febrem domabant. Sub forma alcoholis antifebrilis multos iuvabat.

Re-

Recidivas tamen fere omnes patiebantur, et quidem irregulari periodo, in quibusdam minimo diaetae vitio, vel ſuscepto frigore boreali — in aliis, nulla evidente cauſa, hae recidivae valde pertinaces aliquando erant, et vel continuo maiorem corticis quantitatem postulabant, vel uti hodie obſervamus, ad corticem et eiusdem praeparata aliquando rebelles deprehenduntur, et non raro anili quodam remedio curantur. Nulla autem corticis praeparatio adeo ſalutaris fuit, quam, quae ut donum divinum conſideranda est, hoc tempore humano generi tributum, ſulphatis chininae detectio.



§ 5.

Obſervata quaedam circa uſum Peruviani corticis et ſpeciatim ſulphatis Chininae.

Liceat nunc pauca, quae ab aliis viſa ſunt, a nobis experientia comprobata deprehenſa, hic proferre.

1. Hic itaque animadvertendum, quod, cum bello praesertim maritimo, caro admodum veniat pretio cortex Peruvianus, multi et celebriores etiam medici tentaverint succedaneum huius medicamenti quaerere. Cum vero multi cortices amari et adstringentes sapore et qualitatibus externis in multis conveniant cum Cortice Peruviano, uti cortex Salicis, cortex Hippocastani etc., cum his varia experimenta instituerunt. Nonnullorum ope certe febres intermittentes leviores vernales curabant, quando scilicet ex debilitate vel alia causa continuabant. Doctissimus I. Mazon Good (1) putabat combinationem adstringentium cum amaris, exempli gratia, Gentianam cum Catechu vel cortice Hippocastani, sistere vires corticis Peruviani: at vero licet aliquando expediverint, tamen recentior observatio docuit in iis casibus, in quibus vires specificae corticis Peruviani requirebantur, in rebellibus scilicet quartanis, vel febribus autumnalibus diuturnis, haec prorsus expectationem fefellisse. Nesciebant scilicet priores, in cortice Peruviano esse principium, quod solum speci-

(1) Study of Medicine, T. II. pag. 138, 139.

cificum contra febrem intermittentem continet, cum, hoc fublato, vires non fpecificas, fed communes ostendat. Ante aliquot annos iam Chemici Gomez (1), aliique detexerunt, principium privum in cortice Peruviano dari falinum acidum, fed demum anno 1821 Clarisf. Pelletier et Caventou detexerunt, verum principium, fcilicet Chininum, fubftantiam alcaloideam et Cinchoninum, continere vim illam propriam et fpecificam febrem intermittentem fugandi. Cum vero illud non facile hnmoribus esfet folubile, illud cum acidis coniunxerunt, optime cum acido fulphurico, illudque fal neutrum, humoribus folubile, nobis fistit fubftantiam illam egregiam, quam fulphatem Chininae nunc appellamus et tam egregio fuccesfu adhibemus. Non licet haec uberius perfequi, cum praeceptor aestumatisfimus, Clarisf. Stratingh, in opere egregio omnia, quae huc fpectant, plenisfime expofuerit (2).

2.

(1) Vid. Stratingh. l. c.

(2) Scheikundige Verhandeling over de Cinchonine en Chinine etc. 1822.

2. Sulphas Chininae, quae maxima copia ex cortice Regio Peruviano elicitur, iam communi omnium consensu suas vires specificas ubivis luculenter confirmavit et multas, prae ipso cortice Peruviano, in multis casibus, praerogativas ostendit. Hae verbo sunt, quod, sub forma et quantitate longe minori, vires integras corticis Peruviani febres intermittentes tuto curandi, contineat. Etenim iuxta observationem Doctissimi Nieuwenhuis (1), uncia corticis Peruviani fusci continet grana VI sulphatis Chininae. — Hinc longe facilius haec grana VI vel forma pulveris, vel pilularum ingeruntur, quam pulvis huius corticis. Verum quoque docuit observatio, in iis casibus, in quibus, ob debilitatem virium digestionis, cortex Peruvianus non fertur, hic sulphatem Chininae optime etiam ab infantili ventriculo digeri, et nullas noxas vel ullum gravamen producere. Dein, in iis casibus, in quibus magna vis huius specifici requiritur, et ab hoc magna quantitate assumptum saepe vita pen-

(1) Verbeterde bereiding der Kina - loogzouten, door F. L. A. Nieuwenhuys et C. J. Nieuwenhuys, Amsterdam 1823, pag. 108 et seq.

pendeat, tuto magnas doſes huius medicamenti dari posſe. Sic, exempli gratia, in febre ſoporoſa, Cholerica, aliisque febris intermittentis ſpeciebus, ita dictis malignis, in quibus accesſus ſibi invicem ſubito ſuccedunt, et hinc larga opus est et ſimultanea adhibitione ſpecifici, tanta quantitas corticis Peruviani requiritur, quae nec ingeri, nec ob ventriculi debilitatem digeri potest. Tuto hic magnae doſes, aliquando grana IV vel V, et ſaepe repetitae, egregie feruntur, cum vomitu reiiciatur cortex in ſubſtantia exhibitus. Evidentisſimo ſuccesſu illud comprobavit medicus Gallus Bailly (1), qui in Noſocomio Romano obſervavit plures laborantes febre intermittente maligna, qui ad unc. VI corticis Peruviani adhibebant, quas iterum evomebant, et omnes fere peribant, cum postea alii eadem ratione adfecti, absque ullo incommodo magnas doſes ſulphatis Chininae egregie ferrent, et omnes hac ratione ſervarentur. Idem nobis in iisdem

(1) Précis du traité Anatom. Patholog. des fievres intermitt. Simpl. et Pernicieuſes, par E. M. Bailly. Bruxelles 1827.

dem febribus intermittentibus malignis ſaepius accidit, quod magnae doſes ſulphatis Chininae, per brevia intervalla datae, ſtatim febrem ſedarent et aegrum ex orci faucibus quaſi eriperent.

3. Porro, inter magnas ſulphatis Chininae praerogativas est quoque illud, quod ſulphas Chininae multo minores habeat contra indicationes, quam aliae praeparationes corticis Peruviani, maxime corticis in ſubſtantia propinati. Cum enim ſulphas Chininae ſincerum exhibeat tantum principium amarum ventriculo gratum, vix ſtimulans, nec corrugans, optime in quovis caſu ab eo digeritur, nec ullas noxas producere videtur, in quibusvis etiam conſtitutionibus. Etiam ſub qualibet fere complicatione, ubi febris intermittens vehementia urget, tuto datur, nec ullas noxas creat. Imo quod magis est, experimenta nunc uberrime demonſtrant, ſublato ſtadio frigoris, etiam dari tuto posſe, in ipſo febrili accesſu, idque egregio cum effectu. — In febre ſoporoſa, (quando ſcilicet nondum facta est effuſio vel extravaſatio) ſaepe, non neglectis aliis medelis derivantibus, in medio accesſu dedimus

ſul-

fulphatis Chininae magnas dofes, eo effectu, ut vel fequens accesfus vel prorfus non adveniret, vel longe esfet mitior, fopore destitutus. Idem valet, ubi fimul adest femitertiana vel femiquartana, et hic etiam faepe coacti fuimus medio fub accesfu fulphatem Chininae dare. — Initio quidem gravat aliquatenus hic medicamentum, et cum febre intermittente quafi certamen init, faepe quoque femel, vel bis accesfus redit: illud tamen a continuato ufu deterrere non debet, quia certe tertius non adveniet accesfus.

4. Diximus vix adesfe huius remedii contra indicantia: et revera, illud habet praerogativum, quod fub quovis fere vehiculo dari posfit, et etiam tenellis infantibus dofi grani $\frac{1}{4}$ ad $\frac{1}{2}$, in pilula cum fucco Liquiritiae vel cum melle, vel rob Sambuci facile ingeratur, et quod coniungi posfit cum aromatibus, roborantibus, ipfis etiam laxantibus, optimo etiam cum effectu, quod itaque multis numeris prae aliis corticis Peruviani praeparatis praeferendum fit.

Non videtur nocere, licet rheuma, vel levis gradus inflammationis fubfit, fi modo fimul ve-

naesectiones, hirudines et alia antiphlogistica, vel etiam ubi cum antimonialibus, tartaro emetico, vino antimoniali etc. adhibeatur.

5. Si autem res non urget, satius est sulphatem Chininae partitis dosibus extra accessum dare, cum tunc non ita gravet, ut illud quidem aliquando sub febre exhibitum accidit. Dosis autem accommodata sit gravitati febris, in qua re tamen pro vario individui statu multam observavimus varietatem; cum saepe febrem satis gravem 10 vel 15 dosibus grani I devicerimus, cum in aliis 20 gr. et ultra non sufficerent, maxime in iis, in quibus iam frequenter recidivas passi sunt: in his enim, Corpus huius medicamenti actioni facile quasi adsuescit, ita ut hic multo fortiores doses requirantur.

Hoc tempore quartanae adeo pertinaces sunt, ut vel et 60 grana aliquando non sufficiant, ad febris accessum domandum, dum tamen hae eaedem febres aliquando amaris et resolventibus extr. gentian. extr. card. bened. cascarillae, sale ammoniaco et Martialibus aliquando statim auscultant. Porro notandum, ordinario post accessum remanere quamdam stricturam circa praecordia,

qua-

quasi cingulum abdomen cingens. Illud tribuendum infarctibus et obstructionibus abdominalibus tum a sordibus, tum ab infarctu hepatis, lienis, et systematis venae portarum pendentibus. Haec tollantur nisi resolventibus, laxantibus, praesertim clysmatibus; graves inde noxae, maxime vitia hepatis et lienis insurgunt. Magna copia in farctuum et sordium, hoc pacto ordinario iam sedata febre, summo cum levamine educitur. Licet autem non tantum nostrates medici, sed etiam Germani pro sacra anchora habeant sulphatem Chininae, tamen non possumus facere cum aliquibus, uti cum Doctissimo Meijer (1), qui credunt sulphatem Chininae non tantum febrem, sed omnes eius sequelas simul tollere. In recenti casu illud saepe procedit, non vero in inveterato.

6. An igitur in omni casu ita profuerit sulphas Chininae, ut prorsus cortice Peruviano in substantia vel in aliis praeparatis carere possimus, illud vix credere nobis licet. Non negamus etiam sulphati Chininae vires excitantes et roborantes competere, et tamen putamus vires cor-

(1) Vide Hufelands Journal, Tom. 64.

corticis Peruviani, roborantes, in tota ipsius substantia contentas adhibendas esse, adeoque eundem vel in substantia vel vino aut alia ratione vel forma ad tonum viscerum restituendum adhibendum esse. Imo persuasi sumus ipsius corticis adhibitionem longe melius relapsus praecavere. Cum successu itaque dedimus post devictos accessus febriles, vel corticem in substantia cum aromatibus, vel vinum corticis Peruviani cum cortice aurantiorum, rad. gentianae, vel ipsius decoctum, vel extractum, vel praeparationem cum magnesia vel ita dictum alcohol antifebrile (1).

7. Ut autem verbo ad dosin et adhibendi rationem redeamus, multum differunt medici et auctores in forma et dosi exhibenda. Putant plures, uti *Magendie*, doses granorum trium vel quatuor sufficere (2): forte illud in leviori casu profecit, hic autem in febre nostra rebelli vix infra 20 grana dosibus gr. II, omni hora vel bihorio, has domare potuimus, quum in febre maligna aliquando doses gr. V quavis hora datae vix, nisi ali-

(1) Praeparationem huius remedii hic loci valde usitati exhibet Cl. Stratingh.

(2) Revue Medicale, Mars 1827, p. 556.

aliquando post secundum vel tertium febris accessum, illam tollere poterant (1). Forma, sub qua optime datur, est ea pulveris cum saccharo, tumque huius solubilitatem auget additio quaedam aceti, vel succi citri: pilulae saepe durae fiunt et a viribus ventriculi non solvuntur.

8. Verum porro quaeritur, an sola vis febrifuga in principio illo alcaloideo in Chinina et minori gradu in cinchonina resideat. De hac re autem duplici de causa dubitamus. Primo, quod aliae praepationes, quae vix Chininam continent, tamen etiam febrem tollunt, dein quod residuum post Chininae extractionem, remanens etiam vires antifebriles continet (2).

Quod ad primum, docet observatio extractum corticis Peruviani, vel frigide, vel methodo Garayana paratum per magnesiam, Chininam tantum valde parca copia continere. Cortices, ex quibus haec extracta parata sunt, adhuc multum Chi-

(1) Ex observatione Clarisf. Pelletier, constat dr. II corticis Peruviani regii vel flavi continere gr. III et $\frac{9}{32}$ partes sulph. Chinin. Vide Revue Medicale, Avril 1827, p. 140.

(2) Clarissimus Pelletier, Revue Medicale, Mars 1827, p. 556.

Chininae continent, ipſa vero extracta in America et quidem e cortice recenti parata, parum Chininae dabant, erant autem amara et febrifuga.

Dr. Robinet credit, corticis agendi vim non pendere a ſola quantitate Chininae contentae: Pelletier tamen monet, partes gummoſas aliasque, quae Chininae adhaerent, eam certe copiam adhuc ſustinere, ut omnes prorſus educi nequeant. Robiquet credit, non ex ſolis principiis Chininae, ad effectum medicamentorum concludi ſemper poſſe, cum ſaepe haec ſola principia non involuta non adeo bene aegrotantes ferant: Chinina e. g. melius fertur, ſi cum gummi arabico detur, quam ſi per ſe ſola exhibeatur.

Quod ad alterum, ſi verum est, vim febrifugam corticis Peruviani non a ſolo Chininae principio pendere; ſed utique alias partes et ſuum ad hoc conficere, quaeritur primo; an reſiduum, quod post ſeparationem ſulphatis Chininae remanet, ſubſtantia picea, amara, reſinoſa, quae certe ſatis magnam huius principii quantitatem continet, ſed quae non niſi difficillima ratione, ab ea ſeparari potest, num igitur haec remanens Chinina, nullas vires febrifugas retineat. Revera

hic

hic loci plura experimenta instituta sunt cum illo residuo, eo cum effectu, ut febris fuerit sublata, scilicet si exempli gratia dupla quantitate detur, quodsi vero, quod fieri potest, omnis Chinina tollatur e lixivio, tunc vires nullas febrifugas exstent. Testati sunt plures medici, hic praxim exercentes, qui non tantum residuo hoc gummoso vel resinoso febrem sustullerunt: illud quod ipse propriis et repetitis experimentis confirmare possum. Sed uti Clarissimus S. Stratingh adfirmat, se impuram sulphatem Chininae et valde brunneam, efficacissimam in febre tollenda deprehendisse. Americanus Clar. Chapman quoque similia experimenta cum residuo Chininae fecit, et febrem dosibus gr. I fugavit (1).

Altera quaestio est, quae ex aliorum experimentis erit diiudicanda, an non saltem in aliquibus casibus praestaret dare praeparationes tales, quae integras vires corticis Peruviani contineant, ita tamen, ut principium Chininae aliis occultum et inactuosum nunc eliciatur, et plane suas vires exserere valeat. Proposuit nuper Hermstaedt in

(1) Med. Chirurg. Zeitung von Ehrhard, 1827.

in diario Hufelandi (1), coquere corticem peruvianum cum certa quantitate aceti vel acidi citri.

Tandem proh dolor! magna quantitas ſulphatis Chininae, quae nnnc adhibetur et carum, quo venit pretium, fecit, ut immenſo aegrotantium damno, haec ſubſtantia adulteraretur, variis aliis additis ſubſtantiis, quod non facile detegitur, cum ſapor intenſe amarus maneat, licet dimidia Sacchari addatur pars. Adulteratur autem inprimis cum borata, mannata, et ſteatita. De modo illud detegendi nunc Chemici ſolliciti ſunt. Quam ob rem Clar. v. d. Boon Mesch et expertisſimus Uilkens (2), experimenta, quae huc pertinent, publici iuris fecerunt, in Diario *Kunst en Letterbode*, *No.* 38, *d.* 21 *Septemb.* 1827. *p.* 182.

(1) Hufeland, Journ. T. LXIV. St. 6. pag. 56.

(2) Kunst en Letterbode, No. 49. pag. 362.

TANTUM.



THE-

T H E S E S.



I.

Licet sana Empiria in exercenda praxi utique admittenda sit, tamen hoc rationalem Medicinam non excludit.

II.

Errant, qui putant in morbis sanandis primariam curae partem constituere medicamenta, cum horum administratio, licet optime indicata, sine observatione diaetae adaptatae, ad morbum sanandum non sufficiat.

III.

Secretio bilis, ope venae portarum, in hepate fit, cum arteriae hepaticae potisſimum nutriendo hoc organo inſervire videantur.

IV.

Dyſenteria plerumque catarrhum inteſtinorum craſſorum, praeſertim inteſtini recti ſiſtit.

V.

Ventriculi perforatio vel emollitio, quae hodie tam frequenter obſervatur, videtur plerumque inflammationis effectus eſſe.

VI.

Tusſim convulſivam pro ſpaſtica adfectione nervorum pulmonalium habemus.

VII.

VII.

Licet docimasia pulmonalis sola non sufficiat ad vitam foetus extra uterum probandam, tamen haec cum aliis signis coniuncta, medicum satis certo de vita foetus pronuntiare facit.

VIII.

Studium medicinae forensis, proh dolor! aeque a medicis, quam ab ICtis hodie nimium quantum negligitur: hinc advocati nonnunquam in medicos sunt iniurii, cum cadaveris inspectionem et latum de lethalitate vulneris iudicium sugillant. Faciunt tamen id nonnunquam iure merito.

IX.

Ad luxationem maxillae non sufficit vis externa qualiscunque sola, nisi accesserit spasmus musculi Masseteris, divaricatione ipsius articuli sub angulo mutato contracti; quo fit, ut condylus maxillae anteriora versus provehatur.

X.

X.

Causa cur mulier mox a partu minus bene ingrediatur, pro parte tantum, eâque minimâ, esse statuo in resolutione symphyseos pubis et musculorum abdominalium; sed maxime pendere a centro graviditatis ac motus in unum punctum restituto, quorum seiunctioni, ex eaque ortae necessitati musculis praesertim utendi trunci extensoribus sub graviditate corpus iam assueverat.

XI.

Hodierna scientiae luce non illustrati, atque adeo non veri sunt Naturae ministri, qui partum Facie vel Pedibus vel Natibus praevium, arte solvere moliuntur.

XII.

Dictum illud Harveyianum, *omne vivum ex ovo*, veritati non videtur esse consentaneum.

XIII.

XIII.

Materia ipſa vivit: in univerſum autem illa valet lex, ut, quo corpus quoddam est complicatius ratione principiorum, eo etiam ſuperiore gaudeat vitae gradu.

XIV.

Princeps turgoris cauſa in ſanguinis motu intestino videtur esſe poſita.

XV.

Omnis materia in corpore animali ſanguini ſuam debet originem.





